

dimus, pro nobis et heredibus nostris, dilectis nobis Johanni Cabotto civi Venetiarum, ac Lodovico, Sebastiano et Sancto, filiis dicti Johannis, et eorum ac cujuslibet eorum hæredibus et deputatis, plenam ac liberam auctoritatem, facultatem et potestatem navigandi ad omnes partes, regiones et sinus maris orientalis, occidentalis, et septentrionalis, sub banneris, vexillis et insigniis nostris, cum quinque navibus sive navigiis, cujuscumque portituræ et qualitatis existant, et cum tot et tantis nautis et hominibus, quot et quantis in dictis navibus secum ducere voluerint, suis et eorum propriis sumptibus et expensis, Ad inveniendum, discooperiendum et investigandum quascumque insulas, patrias, regiones sive provincias gentilium et infidelium (quorumcumque, *è qui inserito nel testo del chancery Bill*) in quacumque parte mundi positas, quæ christianis omnibus ante hæc tempora fuerunt incognitæ.

Concessimus etiam eisdem et eorum cuilibet, eorumque et cujuslibet eorum heredibus et deputatis, ac licentiam dedimus affigendi prædictas banneras nostras et insignia in quacumque villa, oppido, castro, insula seu terra firma a se noviter inventis. Et quod prenominati Johannes et filii ejusdem, seu heredes et eorum deputati quascumque hujusmodi villas, castra, oppida et insulas a se inventas, quæ subjugari, occupari et possideri possint, subjugare, occupare et possidere valeant, tamquam vasalli nostri et gubernatores, locatenentes et deputati eorundem, dominium, titulum et jurisdictionem eorundem villarum, castrorum, oppidorum, insularum, ac terræ firmæ sic inventorum, nobis acquirendo; Ita tamen ut ex omnibus fructibus, proficuis, emolumentis, commodis, lucris et obventionibus, ex hujusmodi navigatione provenientibus, præfati Johannes et filii, ac heredes et eorum deputati teneantur et sint obligati nobis, pro omni viagio suo, totiens quotiens ad portum nostrum Bristollie applicuerint, ad quem omnino applicare teneantur et sint astricti, deductis omnibus sumptibus et impensis necessariis per eosdem factis, quintam partem totius *et* italici lucri sui facti sive in mercibus sive in pecuniis persolvere.

Dantes nos et concedentes eisdem suisque heredibus et deputatis